



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Decretum de clero vocando.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

uitate; iussu Illustris Archiepiscopi editū est, vt ad Tabellæ Synodalis præscriptum, è sessionali loco abirent. Sessione ergo absoluta, ex suggestu euulgata est.

Ne quisquā è loco ante discedat, quam Illustrissimus & Reuerendissimus Archiepiscopus è Synodo abierit: nec verò raprim, turbulenterve; sed grauitè, decoroq̃ue incessu.

Capitula verò, & clerici Ecclesiarum Collegiatarum, vt collegiatim conuenerunt, eodem ordine è Synodo discedant prælata Cruce: quo eodem modo redeant hora indicta.

Caveant denique omnes, quæcūque & Ecclesiasticæ disciplinæ, & Synodalis actionis dignitati, & loci venerationi minimè conueniant.

#### Continuatio primæ sessionis.

**A** Prandio stata hora indicta, & sono medix campanæ per spatium medix horæ significata, Illustrissimus Archiepiscopus cappa indutus, à Reueren. Capitulo & Clero vniuerso Metropolitanæ ad Basilicam Metropolit. deductus est: ac primùm vespèrarum & completorii officio perorato, cui interfuit totus Clerus, & præcipuè Canonici collegiatarum, Illustris Archiepiscopus pluviale, & mitram pretiosam, & Capitulum pretiosa paramenta induerunt, & in sessionalem locum descenderunt: ibiq̃ue stata oratione Adsumus recitata, omnibus ordine confidentibus, ac silentio indictō, iussu Illustrissimi Archiepiscopi Cancellar. suggestum ascendit, & primò de Cleri vocatione, de scrutinio, de Cathedralico, & de examinatoreibus, & Iudicibus, ordine, & modo infra scripto actum est.

#### Instantia promotorū de clero vocando.

Illustris. & Reuerendiss. Pater,  
& Domine.

**S**ancitum est Conciliis generalibus, & præcipuè Concilio Tridentino, vt omnes Ecclesiastici viri, qui de iure, vel cōsuetudine Synodo diocesana quæ quotannis celebratur, etiam exempti, interesse debent si negligentes fuerint,

Pars II I.

pœnas sacris canonibus sancitas incurrant: Quamobrem eos omnes ex suggestu publicè vocari; & successiuè scrutinium à patribus sapienter institutum haberi humiliter petimus; Ecclesiasticosq̃ue viros sanctæ disciplinæ eruditos eligi, qui scrutinio diligenter incumbant; & Parochos Cathedralicum iuræ diocesano debitum persolvere instamus.

Lecta que fuerunt decreta vt infra.

#### Decretum de scrutinio.

**S**crutinium Synodale, à patribus sapienter atque ex vtilitate Synodi institutum, iam aliquando intermissum, per nos adiutrice diuina gratia ad usum cōsuetudinemque reuocatum, hodie cum solenni vocatione Cleri in continuatione sessionis pomeridianæ rectè per eiusdè scrutinii præfectos agi decernimus, atque edicimus; ideo omnes & singulos, qui officii recitandi lege adstricti sunt, Breviarium nuper editum, cum Calendario afferre, & exhibere iubemus.

#### Decretum de præfectis scrutinii eligendis.

**S**crutinii Synodalis præfectos deligimus venerabiles Sacerdotes, visitatores nostros in vrbe, pro ratione regionum portarumve N. P. orien. N. visitatorem primæ regionis N. secundæ regionis &c. Qui pro sua quisque timorata, religiosaq̃ue conscientia, postpositis omnibus humanis affectibus, in veritate, & sinceritate, & æquitate, iustitiaque, suo constituto loco scrutinium agant ad præscriptum Tabellæ de scrutinio Synodali, ad usum huius Synodi iussu nostro editæ, quam scrutinii præfectis distribui mandamus, vt & ipsi muneris sui partes intelligant, & Clerus vniuersus de quo scrutinium agi constituimus, non in respondendo solum, verum etiam in exequendo, se tales præsent, quales eos esse scrutinii diligentis ratio deposcit.

#### Decretum de Clero vocando.

**M**ox vocabuntur omnes & singuli, quicunq̃ue sint, qui huic Synodo

M

dioc-



diocesanæ xj. præsentis adesse debent; qui certo Ecclesiæ nomine vniuersè vocati, ordine bini, & collegiatim, ad Illustrissimum Archiepiscopum rectè accedant, cui reuerentiā exhibeant; deinde singuli nominatim vocati, capite aperto, & stantes, modesta, altaque voce respondeant. Adsum.

Inde verò ad Præfectos recognitionis certis Capellis dispositos recta via accedant, quibus Breuiaria, & Calendaria ex præscripto exhibeant, & ad præscriptum scrutini de interrogatis respondeant.

Qui ad eos non accesserint, perinde plectantur, vt qui ad Synodum nulla iusta causa impediti non venerint.

Interrogati autem, si quid indecorè vel responderint, vel egerint, singuli à Præfectis scrutini notentur, vt Canonice subiaceant disciplinæ.

#### Decretum de Cathedralico.

Parochi autem cum è scrutinio redibunt, rectè, & ordine accedant ad Reuerend. N. Oeconomum nostræ mensæ Archiepiscopalis, cui soluant cathedralicum iure debitum.

#### De vocatione.

Vocati autem sunt hac præfatione, pro Ecclesiæ dignitatis ratione: ac primum ex capitulo Metropolitanæ, ita. Multum Reueren. D. N. Archipresbyter. Multum Reueren. D. N. Archidiaconus, & sic singulæ dignitates.

Reueren. D. N. Canonicus ordinarius. Præpositi collegiarum vrbis, & diocesis sic.

Reueren. Presbyter N. Præpositus N. Canonici collegiarum vrbis, & diocesis.

Reueren. N. Canonicus Sancti N. Parochi vrbis, & diocesis ita.

Venerabilis presbyter N. parochus S. N. Capellani sic.

Presbyter N. Capellanus S. N. Clerici beneficiati.

N. Clericus S. N. Alij verò clerici suo quisque nomine appellati sunt pro ordinis suscepti ratione sic.

N. Diaconus N. Subdiaconus N. Acolitus N. Exorcista N. Lector N. Ollarius, si ij vocandi sunt.

Cum autem hora esset tarda in sequentem sessionem iussu Illustrissimi Archiepiscopi vocatio Cleri diocesanæ reiecta est, hoc decreto promulgato.

Decretum de differen. scrutinio in alium diem.

Cras ordine, & diligentius Clerus diocesanus vocabitur: accuratius item scrutinium synodale de eo fiet, ad præscriptum Tabellæ, & decreti hodie mane in sessione promulgati.

Postremò actum est de hospicio Clericorum, atque indicta sequens sessio.

#### Decretum de hospicio.

Omnibus & singulis sacerdotib. clericisq; diocesanis, diuersorium hospitiumq; honestum, & decretis provincialibus, & diocesanis, editisq; provincialibus iussum non habentibus, edicimus, vt diuersentur & hospitentur in quibus Canonice extra portam nouam, quod hospitium præter statum diuersorium eis constitutum est.

#### Decretum de hospitiiis.

Vicarii, qui non exhibuerunt nomina hospitiorum cleri Vicariatus sui præfectis hospitii, hodie exhibeant.

Lectum quoque fuit decretum de solenni Defunctorum commemoratione die sequenti agenda: cuius decreti formula habetur supra dioces. Synod. viij. pag. 78. decret. 4.

Interea verò antequam hæc sessio dimitteretur, Archidiaconus iussu Illustrissimi Archiepiscopi de more indixit orationem mentalem certis capitibus partitam, pro Cleri disciplina excitanda, & diuino auxilio implorando.

Eiusmodi orationis capita habentur supra Synod. dioces. viij.

Oratione mentali absoluta Illustriss. Archiepiscopus surgens certas preces recitauit, ac Synodo benedixit sine consensione indulgentiæ.